

IOHANNIS LEONIS
AFRICANI

De

A F R I C Æ

DESCRIPTIONE,

Pars altera.



LVGDVNI BATAVORVM
Ex Officinâ ELZEVIRIANA,

MDCXXXII.

Beni Guariten tractus.

BENI Guariten tractus distat Orientem versus à Fessa circiter decem & octo miliaribus. Perpetuus collis est optimè excultus omni leguminum genere, pascuis ac pratis amœnissimus, ducentos ferè continet pagos. Vilissima ubique domorum est structura, incolæ quoq; vilissimi, neque vites, neque hortos colunt, quare nec arborem fructiferam hic reperias. Hanc regionè Fessæ Rex solet inter suos fratres distribuere atque inter sorores, si quos natu minimos habet. Magna incolis frugum atque lanæ copia: & quam ditissimi, tamen vilissimo utuntur habitu: aënis tantùm pro equis utuntur, adeò ut etiam vicinis maximè ludibrio sint.

Aseis regio.

Distat & à Fessa Occidentem versus viginti ferè miliaribus regio, quam Asein incolæ vocant, perpetua constat planicie, unde conjiciunt multos olim hic fuisse pagos & castella, quorum ne vestigium quidem, nec signum alicujus ædificii videri potest, tantùm locorum nomina penes illos remanserunt. Extendit sese hic tractus Occidentè versus per decem & octo, ad Meridiem autem